



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 11. De Apparitione quinta. Myst. punct. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

MEDITATIO XI.

*De apparitione quintâ. Luc. 24.
Myft. punct. 1.*

CONG. Delibare instantem Meditationem, & excitare desiderium congaudendi Christo.

PRÆL. I. Quomodo apparuerit duobus euntibus in Emmaus, & de se loquentibus.

PRÆL. II. Imaginari sibi viam in Emmaus.

PRÆL. III. Petere gratiam rectè ambulandi, & loquendi cum Christo in oratione.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Convertamus oculos ad Discipulos duos euntes in Emmaus.

INTEL. Notemus illos fuisse in quadam desolatione, quæ est *animæ obtenebratio ... trahens in diffidentiam, unde se anima tristari .. sentit.* Reg. 4. hebd. *disc. spir.* **REFL.** Notemus nobis quoque in viâ spirituali nonnumquam obvenire ejusmodi obtenebrationem, & desolationem.

VOL. Statuamus in ejusmodi desolatione dirigere nos juxtà Reg. 6. *ibid.* & insistere orationi, dicendo: *Deus meus illumina tenebras meas.* Ps. 17.

PUNCTUM II. VERBA MEM. Audiamus quid Discipuli illi inter se loquantur.

INTEL. Nimirum loquebantur de ijs, quæ de Christo audiverant, & viderant, tum de ejus morte,

te, tum de resurrectione. REFL. Nos verò in desolatione sæpè vanos sermones amamus, ut dici de nobis possit: *Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. 2. Timot. 4.

VOL. Nos deinceps studeamus de Mysteriis Divinis cogitare & loqui, nobisque dictum puteamus: *ineptias autem & vaniles fabulas devita*. 1. Tim. 4. *Tu autem loquere qua decent sanam doctrinam*. Tit. 2. de similibus si non clarè intelligendo, saltem inquirendo loquamur, sicut loquebantur hi Discipuli.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Meminerimus, quod Discipuli illi iverint in Emmaus.

INTEL. *Emmaus*, significat, *Timens consilium*, Discedebant Discipuli illi à Petro & Apostolis, à quibus poterant petere, & accipere consilium, in suâ desolatione. REFL. Sic nos timemus interdum Consilium petere à Superiore, vel Confessario. Nam *inimicus noster... summoperè procurat, ut verba & consilia sua occulta sint*. Reg. 13. hebd. 1. *disc. spir.*

VOL. Detestemur inimicum illum, qui est Spiritus tenebrarum, & in campo Babylonico sedet in cathedrâ fumosâ. Servemus Reg. Summ. 41. nec celemus tentationes nostras, sicut ibi præscribitur.

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. Christus ambulat cum Discipulis illis specie peregrini.

INTEL. Latebat quidem Divinitas sub specie peregrini: ingens tamen erat miraculum, quod post mortem Christus redivivus, pro arbitrio suo, quocumque modo, quocumque vellet loco, se sisteret.

REFL.

REFL. Hæc est libertas Filiorum Dei, quæ post mortem etiam nos manet.

VOL. Consolemur nos certâ spe similis libertatis, quam consequemur, si hic propter Christum nostrâ nos libertate exuerimus. *Suscipe Domine universam libertatem meam. &c.*

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. Maneamus aspicientes Christum ambulantem cum Discipulis, qui ipsum non agnoscebant.

INTEL. Attamen Christi, quamvis non agniti consortium, ipsis non parvum levamen erat in desolatione. REFL. Sic nobiscum in desolatione juxtâ Reg. 7. hebd. 1. *disc. spir.* agitur sæpè, *assistente nobis jugiter præsidio divino, licet tunc nequaquam sentiatur, aut cognoscatur.*

VOL. Dicamus proinde fidenter in desolatione, *Dominus à dextris est mihi, ne commovear.* Ps. 115.

COLLOQ. De 2. Vexillis: petendo *donum fortitudinis* contrâ insidias inimici, & *spem futura gloria*, ac præsentis præsidii in hac vitâ,

RECOLLECTIO.